



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 50. Otto IV. coronatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

introducunt, quæ interrogata an Ottoni Regi nubere vellet, subito rubore genas pingente, respondit, se quidem liberri- me consentire. Ergo Ottoni ministe- rio Cardinalium desponsata, in Saxoniam deinde, Brunswici aliquamdiu commo- ratura, dimittitur.

Sæcul. XIII.
A. C. 1209.

§. L.

Otto IV. coronatur.

Rex Otto, Comitibus generalibus iterum ad Festum S. Petri Augustæ Vinde- licorum celebratis, & præmissis Legatis, in Italiam movit. Tum, Curia generali Bononiæ convocata, negotia illius regio- nis cum optimatibus tractavit, ac inde progressus in Tusciam, Patriarcham A- quilejensem & Episcopum Spirenses ad Papam misit, de pactis, quibus coronare- tur, acturos. Priusquam vero Otto ex Germania profectus fuisset, urgentibus, ut verisimile est, Legatis Pontificiis, ju- ramento se Papæ obstrinxerat, in hunc ferme modum: *Eum tibi honorem & Dignitatem Imp. obedientiam, quam Majores nostri tuis Antecessoribus, exhibebimus, nec quidquam subtrahuri, sed potius addituri sumus. Volumus, ut Prælati Ecclesiarum libe- re eligantur, & Sedem vacantem ille consequatur, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars exoptaverit. Qui- libet in causis Ecclesiasticis libere ad*

Otto c. 52.

Deneg. Imp. ep. 189.

*1182. Otto
1183.*

Hist. Eccles. Tom. XIX. N Sa-

Sæcul. XIII.
A. C. 1209. *Sacram Sedem appellet, & Actionem, ut lubet, prosequatur. Abjicimus ab usum, quem Antecessores nostri admiserunt, cum Prælatorum defunctorum aut Ecclesiarum vacantium bona occuparunt, ac tibi cunctisque Præsulibus potestatem in omnibus rebus spiritualibus intactam relinuemus. Omnibus viribus Hæresim extirpare conabimur. Ditiones, sive ab Antecessoribus nostris sive ab aliis recuperatas, ab Ecclesia Romana non repetemus; quin etiam eidem Ecclesie ad illas Patrimonii partes, quas tenet, conservandas, & quas amisit, vindicandas, auxilium præstabimus. Tum Ditiones illæ, quæ, inter alias, etiam urbes a Mathilde Comitissa possessas complectebantur, enumerantur. Præterea Rex Otto promittit, se Ecclesie Romanæ jura in Regnum Siciliae defensurum.*

Hoc Juramentum Bulla aurea munitum est, & Spiræ vigesima secunda die Martii anno millesimo ducentesimo nono datum, cui Conradus Episcopus Spirensis, Curie Regiæ Cancellarius, Sigefridi Archiepiscopi Moguntini, & Germaniæ Archicancellarii vices gerens, subscripsit.

ep. 192.
Otto S. Blas.
s. ult. Postquam Papa & Otto de omnibus consenserunt, & præcipue de eo, quod Papæ & Cardinalibus, præsentem Cæsareo exercitu, securis esse liceret, Otto ad urbem

urbem castra metatus est, quo etiam Pontifex, qui æstatem illius anni Viterbii transegerat, se contulit. Altera die, vigesima septima Septembris, Dominica ante Festum S. Michaelis, Otto in Ecclesia S. Petri a Papa & Romanis honorifice excipitur, & altero edito juramento, quod Ecclesiarum Tutor, ac in primis Patrimonii S. Petri futurus esset, manibus Papæ consecratur & coronatur. Missa finita, Otto trabea Cæsarea fulgens, ac Mitram coronamque in capite gerens, Papam recedentem usque ad portam urbis, obsequii causa, comitatus est, ubi Papa Benedictionem ei impertitus valedixit, rogans, ut die sequente ex territorio urbis Romanæ abiret. Quod consilium haud diu post Imperator, etiam invitus, amplecti coactus est, anno ad militem sustentandum deficiente. Interea rixæ inter Germanos Romanosque oriuntur, tum ob nescio quos sumtus, quos sibi Romani ab Imperatore compensari poscebant, tum quod a Germanis male habitos se quererentur. Prorumpunt ad arma, complures Germani cæsi; dicebatque exinde Imperator, se in illo tumultu mille centum equos amisisse.

Sæcul. XIII.

A. C. 1209.

Jo. Cece.

an. 1209.

Rigord. p. 51